

bit, sed etiam qui a Statibus quos ordo visitandi et reuidendi tangit mitti plerumque solent Consilarii et Legati. Hinc intricata et in utramque partem multum agitata sistit se quaestio, quam nimirum Reuisores iurisdictionem habeant? Ipsi quidem Imperii Status si in persona compareant, quin habeant ordinariam iurisdictionem nullam habere dubitationem cum GAILIO *l. obs. 154. n. 1.* affirmo, tametsi aliquando dubitatum fuit, existimantibus nonnullis, ipsorum iurisdictionem delegatam esse, eo quod ad causas pro tempore incidentes ab Electore Moguntino tanquam Imperii Cancellario deputentur. Quod dubium indetatum est, quia non intellexerunt, quod Reuisores ex Ordinatione Imperii acceperint iurisdictionem non circa causas singulas, sed circa causarum vniuersitatem, ut quaecunque causae incidissent, de illis cognoscerent et iudicarent, siquidem iurisdictione Reuisorum eiusmodi est, ut in genere pertineat ad causas promiscue omnes, quae in Camera sunt decisae, siue ex capite nullitatis siue iniquitatis impugnentur, etsi exercitium iurisdictionis in causis singulis spectetur. Verum an Legati et Consilarii qui a Statibus quos ordo tangit, mittuntur ordinariam an vero delegatam iurisdictionem habeant, adhuc dubium est: Et quidem delegatam horum esse iurisdictionem non immerito alicui videri possit, quia missi non utuntur propria aliqua iurisdictione, sed vicaria et non suo sed dominorum suorum beneficio iurisdictionem habent. *arg. l. i. §. 1. ff. de off. eius cui mand. est. iurisd.* quam sententiam etiam pluribus confirmat BEND. *in tract. de Reuis. conclus. 4. num. 31. et seq.* Et verum hoc quidem, si vnus esset reuisor tantum, qui iurisdictionem ordinariam haberet eamque alteri mandaret: Aut si Reuisores omnes quos ordo tangit non singulatim sed coniunctim ac ut ita dicam in corpore vniti hoc facerent: Quoniam autem neque vnicus est Status, qui visitandi et reuidendi munus obit, neque etiam Status omnes, quibus Reuisio incumbit, coniunctim suam iurisdictionem mandant, sed quisque si ipse venire nolit aut non possit, per se solus non iurisdictionem sed exercitium iurisdictionis, quam solus non habet per se, sed in vniuerso corpore aut Collegio Reuisorum, his quos ablegat, mandat, ideo, quicquid in contrarium sentiant alii, motus rationibus

tionibus